Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35998
Copyright: Melk, Benediktinerstift



43

dimittit tibi peccata tua. Dicit surge tolle grabatum
tuum et ambula. Ut autem sciatis quia filius hominis
habet potestatem in terra dimittendi peccata ait paralitico.
Tibi dico. surge tolle lectum tuum et vade in domum
tuam. Et confestim coram illis surgens. tulit lectum
suum in quo iacebat. et abiit in domum suam magni-
ficans deum. Et stupor apprehendit omnes. et
magnificabant deum et glorificaverunt. qui dedit potes-
tatem talem hominibus. Et repleti sunt timore magno
dicentes. quia vidimus mirabilia hodie. et nunquam
sic vidimus.

Erat autem post haec
magnum convivium in domo sua. Et factum est discumbere
eum in domo. ecce multi publicani et peccatores venientes
discumbebant cum iesu et discipulis eius. Erant enim multi
qui sequebantur eum. Et videntes pharisei et scribe
quia manducaret cum publicanis et peccatoribus. murmurabant
dicentes ad discipulos eius. Quare cum peccatoribus et
publicanis manducat et bibit magister vester. et nos
manducatis et bibitis. Et respondens ihesus ait illis
Non egent qui sani sunt medico. sed qui male
habent. Euntes autem discite quid est. quia misericordiam volo et non
sacrificium. Non enim veni vocare iustos sed peccatores
ad penitentiam. Et erant discipuli iohannis et pharisei ieiunantes.
Tunc accesserunt ad eum dicentes. Quare nos
et pharisei ieiunamus frequenter. et obsecrationes faciunt
discipuli iohannis similiter. et pharisaeorum. tui autem edunt
et bibunt. et non ieiunant. Et ait illis ihesus Numquid
possunt filii sponsi et nuptiarum quamdiu est sponsus